



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VI. Mandata Legatis tradita, vt in Synodo progredierentur. Dogmata Fidei de sumptione Eucharistiae, à Patribus expensa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

quam duces non solum comitari reliquos, sed præcurrere, facemque præferre; studentes in primis ut libertate Synodus frueretur, nec offenderet in obstacula, ne postea retardati progressus culpa Pontifici adscriberetur, aduersus quam eius vota merebantur, quando ipse cum laude singularis pietatis in Concilio reposuerat grauissimarum rerum decisionem.

9 In hanc sententiam Cæsar ad Legatos scripsit, tum defensione vsus, tum explicatione; sed re ipsa, quantum per maiestatem licebat, retracto pede. Quare hæc epistola, quam paucis ante Sessionem diebus Legati acceperunt, ab ipsorum animis nubes vehementer dispulit; qui rationibus Cæsarum facile admissis, de præterito, quod per se solum æquè ac nihilum est habendum, Oratoribus ostenderunt, res quæ proponebantur à Ferdinando, sicut ea quæ à reliquis proposita erant, æstimationis merito superabant; ita pariter ad excitandam perturbationem easdem superare. Ipsum Cæsarem spectari tamquam causam præcipuam, mouentem simul, & cuius gratiâ opus illud inceptum fuerat: idcirco non posse eius sensa non afferre Concilio magnam sollicitudinem, ubi aduersari viderentur iis, quæ Patres in rem Ecclesiæ censuissent. Quamquam compluribus daretur proponendi libertas; ea tamen, quæ ab illis proponebantur, non allatura fuisse tantum moræ ex peculiari debito ad ipsa expendenda, multoque minus tantum anxietatis ex peculiari reuerentia ad ea non improbanda. Verumtamen polliciti sunt, se haud desituros conuentui ea proponere quæ Cæsar sentiret, pro eo ac spectatâ eorum qualitate ac multitudine opportuna putassent. Atque ita illud repulsæ genus dederunt, quod nec læsâ reuerentiâ, nec sublatâ spe, sed executione vitatâ, duris feruidisque Principum postulatis est maxime accommodatum.

CAPVT VI.

Mandata Legatis tradita, ut in Synodo progredierentur. Dogmata Fidei de sumptione Eucharistiæ, à Patribus expensa.

1 **D**Vm à Cæsare stimulabantur Præsides ad festinandum & agendum, non minus etiam à Pontifice sollicitabantur, quamuis in primo loco, ad opus quod Cæsari supra modum displicuisset. Videbatur ^a Pontifici, per moram in progressu Concilij effici, ut incommoda sentirentur, nullo inde fructu decerpto: quapropter iniunxit Legatis, ut progredierentur. Et quoniam ingens fieret gradus, si cautum foret ne regredierentur, hac etiam de

Pars III.

D

causa

^a In variis literis Pontificis & Borromæi ad Legatos, & ex allata epistola Legatorum ad Borromæum, 28. Iunij 1562.

1562. causa illis mandauit, vt vbi deferrentur ad ipsos Pontificiæ litteræ, ad Hispaniæ Regem scriptæ, cum promissis declarandæ Continuationis; aut vbi noua de ea postulata Regis nomine aliunde accepissent, illi eò ea exequerentur. Ad quod responderunt, percontati, An vbi ante Sessionem neutrum euenisset, vellet tamen Pontifex Continuationem declarari. Sed ille rescripsit, Minimè, vt infra distinctius narrabitur. Legati pro virili festinantes, bis per dies singulos minores Theologos conuocarunt^b, initio factò 10. Iunij^c; nec tamen eorum congressus ante diem vigesimum tertium absolui potuerunt. Etenim qui loquebantur, sexaginta tres erant, & ferè vnusquisque, vt assolent, prolixè verba faciebat, haud contentus adicere solùm quæ dicta non fuerant, quin nihil memor alieni sermonis, nisi ad suum interdum aliquâ oppugnatione protrahendum.

^b Diarium.
^c Non 9. Iunij, vt narrat Suauis.

^d 6. Maij
1562.

^e In Diario,
20. Iunij
1562.

Primo loco locutus est Alfonso Salmeron Societatis Iesu, eò² missus vt Pontificis Theologus, cum litteris Borromæi ad Legatos^d, quibus præcelsa tum ipsius Borromæi, tum Pontificis de eo existimatio proferebatur. Sententia, quam ille dixit, ac scripto dedit, communiter fuit seruata^e, aucto illi pretio ab eo condimento, quod accedit egregio ferculo, quòd mensæ primùm omnium apponatur. De primo articulo, hoc est, An quilibet ex Christianis hominibus Diuino præcepto adstringatur ad Eucharistiam sub vtraque specie sumendam, præmisit: Certum esse, Ecclesiam, columnam ac firmamentum veritatis, errare non posse. Cùm igitur ipsa diuturno tempore vetuisset laicos vti Calice, quemadmodum constabat ex Concilijs Constantiensi & Basileensi, & ex omnibus Scholasticis, trecentis abhinc annis; pro certo haberi, Diuinum mandatum illud non esse. Præterea, cùm ante omnem memoriam vetus esset consuetudo non dandi Calicis cunctis qui Eucharistiam acciperent, oportebat vsque ab Apostolorum ætate eam provenire: aliter cùm homines tenacissimi sint eorum quæ ad religionem pertinent, fieri non potuisset hæc mutatio sine ingenti strepitu, & sine superstite rei memoria. Studuit postea eam coniecturam confirmare exemplis, dictisque veteribus multarum historiarum, ac plurimorum Patrum, ex quibus colligebatur, vsum illum non porrigendi Calicis cuiusque consecratum Panem sumentem, à primis vsque temporibus extitisse. Respondit iis, quæ obiectabantur ex sacris Litteris, ostendens, ex quibusdam locis aliud non confici, nisi vtramque speciem in Cœna fuisse datam à Christo; cuius actiones omnes sequi non iubemur secundùm omnes conditiones, sed secundùm eas, quæ ab ipso imperantur per declarationem Scripturæ,
aut

aut per Ecclesiæ traditionem. Ex aliis locis probari, eidem Ecclesiæ licere, non item præscribi usum vtriusque speciei, exceptis sacrificantibus; iisque solis, utpote Apostolorum personam gerentibus, dixisse Christum in vltima Cæna, *Bibite ex hoc omnes*; quem admodum iisdem solis ibi dixerat: *Quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis*. At verò id quod legitur in sermone Christi capite 6. S. Ioannis, ad cunctos fideles referri, ibique sermonem esse de *Communionem Sacramentali*, non de *spirituali*, quæ fit per fidem, aut per gratiam, sicuti quidam arbitrabantur; non tamen probationem ullam inde deduci pro Bohemis, quòd vsus vtriusque speciei, & non vnus tantum nobis à Domino præcipiatur. Quin ad significandum, neutrum ex his ritibus obstiturum Christi sanctionibus, interdum ab illo in laudato sermone nominari simul esum carnis & potum sanguinis, interdum solum esum carnis nominari.

3 In quarto articulo, qui secundus erat inter dogmaticos, nimirum, Num idem an minus sumatur sub vna specie, quàm sub vtraque: primum tamquam indubitatum affirmavit, propterea quòd Christus integrè continetur sub vtraque seorsim specie cum anima & cum Diuinitate, sicuti est in cælo: idque fuisse definitum in Conciliis Constantiensi & Florentino: idem confirmari ab Ecclesiæ usu, quæ adorandum proponit hoc Sacramentum sub sola panis specie. An verò tantum gratiæ recipiat is, qui Eucharistiam sub vna tantum specie sumit, quantum qui sub vtraque simul; ab hoc articulo non peti: cum extra controuersiam sit, tantum contineri ac significari in vna solùm Hostia, quantum in multis; nec idcirco tantum gratiæ recipi in vnica Hostiæ sumptione, quàm in multis: à mero Dei arbitrio rem dependere, qui maluerit se obstringere huic vel illi collationi gratiæ in institutione Sacramenti. Pendere se in eam sententiam, quæ dicit, gratiam in vtroque casu æqualem esse; quod conatus est multis rationibus persuadere: Ea de re locutos non fuisse Patres & Concilia, quia pro certa posuerant: Varietate ritus sicuti rei natura non variatur, ita nec effectum Sacramenti variari: Ecclesiam haud negaturam fuisse Calicem non celebrantibus, si cum eo simul oportuisset aliquod incrementum gratiæ ipsis auferri.

4 De secundo articulo, qui erat, Num vsus Calicis cuiuslibet esset permittendus, respondit, Id esse arbitrium Ecclesiæ, cuius erat, exquisitâ trutinâ commoda & detrimenta perpendere. Hæc sibi ponderosiora videri plurimis de causis; quas enumeravit,

1562. & nos afferemus, cùm sermo erit de arctioribus ad hoc statuendum consiliis.

Hoc posito, nihil in tertio dicendum supererat de conditionibus ei præscribendis, cui huiusmodi vsus indulgeretur. De quinto, videlicet, An lege Diuinâ necesse foret infantibus etiam Eucharistiam tradere, aliis differendum reliquit.

Post Salmeronem sententiam suam explicarunt reliqui Theologi, missi à Pontifice, à Cæsare, à Regibus, seu quavis ratione Concilio assistentes, non tamen in ordine dicendi exactè habitâ ratione dignitatis. Post multos ac prolixos cœtus, omnes conuenere, præterquam de secundo ac tertio articulo, ad Calicis concessionem spectante, & ad conditiones illi apponendas, quæ à prudentia magis quàm à scientia pendebant.

Refert Suavis rem, quæ accidit Amanti, è familia Seruorum 6 B. Virginis Theologo, quem Episcopus Sebenicensis secum adduxerat; nimirum, cùm ipse propugnaret, plus gratiæ infundi summentibus Eucharistiam sub vtraque specie quàm sub vna tantum, protulisse Caietani opinionem, quæ dicit, sanguinem non esse partem humanæ naturæ, sed primum alimentum, & tum ex eo, tum ex aliis rationibus arguisse, non contineri sanguinem sub specie panis, ob corporis, vt dicunt, concomitantiam. Hinc ab eorum qui aderant indignatione, excitum fuisse pedum strepitum, qui Theologum cœgerit ad palinodiam canendam; imò ad affirmandum, fuisse à se allata ea argumenta non tamquam subsistentia animo ea comprobandi, sed tamquam apparentia animo ea dissoluendi, eaque propter illius sermonem progressum vlteriùs non fuisse. Rei summa vera est^f, & accidit manè die 17. Iunij: sed fragor ob aliam enuntiationem excitatus est^g. Fuit ea, quâ idem dixit, Corpus Christi demortui seiunctum fuisse à Diuinitate. Tamen in Acta nullus eius error relatus est in hoc argumento, in quo breuissimè perstringitur id quod ille disseruit: sed de primo articulo recensetur eiusdem sententia, per formam castigatione dignam; quandoquidem non affirmavit solum, posse Ecclesiam æquè concedere Sacerdotibus ne consecrent nisi sub vna tantum specie, sed vniuersè pronuntiauit, eas omnes leges, quas potest Deus, posse pariter ab Ecclesia relaxari.

^f Diarium, 17. Iunij.
^g Litteræ Mutinensis ad Moronum, 18. Iunij.

^h Duo momenta iam allata, & præterea Diarî.

Quantà cunctorum auersatione auditus fuit manè Regularis, 7 tantum plausus accepit serò Clericus non Regularis. Fuit hic ^h Ioannes Vileta Hispanus, qui cum Episcopo Barcinonensi venerat. Is tamen defensas aures nactus, ex tot tam crebris ac tam proli-

xis congressibus super eodem argumento, tam concinnè promptè-
que sermonem adhibuit, vt satietate laborantibus appetentiam ex-
citauerit. Quare postquam duas horas verba fecit, & oporteret vnà
cum diei sine conuentui finem imponere, rogatus fuit, vt die po-
stero sermonem profequeretur. Summam hîc exponam, in Acta
relatam eorum, quæ tandem collecta sunt ex Theologorum sen-
tentiis de quolibet ex quinque capitibus.

8 De primo cuncti dixerunt, non esse Diuinum præceptum, quo
singuli Christianorum teneantur vtramque speciem sumere. Cun-
cti pariter præter vnicum Lusitanum consensere, esse hoc præce-
ptum iis iniunctum, qui conficiunt Sacramentum. In dicta summa
non fuit habita ratio sententiæ Amantis, de qua diximus; fortasse
quia ab eodem reuocata iam fuerat. Rationes Lusitani aduersantis
fuerunt auctoritas Innocentij III. Alberti Magni, Ioannis à Tur-
recremata, & narratio Raphaëlis Volaterrani¹, dicentis, eam legem
ab Innocentio VIII. relaxatam fuisse Noruegis, apud quos vini vsus
non erat. Ceteri, qui omnes ex opposito concordarunt, varij in
fundamentis & explicationibus fuere, quod nimis longum esset re-
ferre: & de hac quæstione legi potest inter recentiores² Ioannes
Cardinalis de Lugo, qui quâ solet acuminis præstantiâ secundam
sententiam confirmat, soluitque prioris argumenta, à Claudio de
Santes, aliisque eiusdem opinionis adducta; ac præcipuè Volater-
ranum refellit, tum ex eo, quod Bellarminus obseruauit³, vero dis-
simile videri, Noruegis deesse vinum ad consecrandum, cum in
comperto sit, nunc illo abundare; tum quia hic scriptor refert,
concessum fuisse, vt Calicem sine vino consecrarent: quæ res cum
à nemine censetur esse in Ecclesiæ potestate, narrationis falsita-
tem redarguit.

¹ In libro 7.
Geogra-
phiæ.

² De Eucha-
rist. disp. 19.
sect. 8.

³ Lib. 3. de
Romano
Pontif. c. 19.
in fine.

9 In secundo, An rationes, quæ induxerant Ecclesiam ad præben-
dam Eucharistiam laicis, & Sacerdotibus non celebrantibus sub
sola specie panis, essent ita obseruandæ, vt nullâ ratione vsus Cali-
cis esset permittendus, magna fuit opinionum varietas: sed inter
omnes conuenit, potuisse ab Ecclesia illum remoueri, quòd ritus
iure Diuino præscriptus non esset, nec quouis tempore vsurpatus.
Duo addidere; Tametsi vsus Calicis fuisset iuris Diuini pro laicis,
potuisse ab Ecclesia subtrahi, cum ipse Deus voluisset hoc ipsum li-
cere. Alij affirmarunt, Fas esse Ecclesiæ relaxare Diuina mandata,
sed quæ solum ad ritus ac caremonias pertinerent. Quamplurimi
ita disputarunt: Quamquam liceret Ecclesiæ aliquid mutare in
conditionibus, & in vsu; nihil tamen eidem licere in iis, quæ Sacra-

1562. menta constituunt. At de modo, quo re ipsa illa se gesserit in hoc usu vnius aut vtriusque speciei per diuersa tempora, variè à variis successus ordo est recensitus; quemadmodum postea euenit in conuentibus Patrum, prout lectoribus exponetur.

In tertio, in quo quaerebatur, Vbi concedendus esset alicui nationi usus Calicis ob rationes Christianæ charitati consonantes, essentne addendæ conditiones huic concessioni, pauci ad rem responderunt, cum plerique acciperent interrogationem sub conditione prolatam, pro absoluta: & de absoluta quam plurimæ fuerunt sententiæ, propter varias conditiones, quas singuli excogitabant.

In quarto, quo petebatur, Minusne accipiat qui vnam tantummodò speciem sumit, quàm qui vtramque; omnes negabant concorditer, quantum ad Sacramentum spectabat. Quod verò ad effectum Sacramenti, qui est gratia, maior pars affirmavit, vi Sacramenti æqualem infundi in vtroque modo; cum tradatur gratia non ratione specierum, sed ratione Christi, qui sub speciebus continetur. Alij opinati sunt, plus gratiæ accipi cum sumitur secunda species, cum homo eo temporis momento melius est paratus: alij absolute dixerunt, maiorem gratiam in Sacramento percipi, cum vtraque species sumitur; quoniam Sacramenta id efficiunt quod significant; significatio verò habetur per ipsa signa. Igitur (arguebant illi) multiplicatis signis gratia multiplicatur.

Ad quintum, An iussione Diuinâ necesse foret, vt infantes hoc Sacramentum acciperent; ab omnibus responsum, necessarium non esse: aliter Baptismus non sufficeret ad salutem. Considerabant præterea, ipsum dari per modum cibi, cuius natura est partes vi caloris deperditas reficere, quod non accidit infantibus, quippe quibus liberum arbitrium deficit. Quod autem Eucharistia re ipsa illis tradita gratiam augeat, pauci quidam affirmarunt, exemplo eius, quod usurpabatur ætate Dionysij & Cypriani; tamen postea Ecclesia id conuenienter prohibuisset, ad irreuerentiam vomentium impediendam. Sed plerique negarunt; cum infantes se ipsos probare non possint, quod exigit Apostolus primà ad Corinthios, nec diiudicare Corpus Domini, distinguentes Panem Sacramentalem à nostrate. Alij protulerunt ad id verba illa eiusdem Apostoli ibidem, & S. Lucæ capite 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: quo aiebant significati, in eo qui huiusmodi Sacramentum suscipit, necessariam esse memoriam Christi patientis, quæ memoria in infantibus locum non habet. Oppositæ Dionysij & Cypriani auctoritati quidam se subtraxere, dicentes, in Ecclesia primæua ministrari hoc Sacramentum

tum infantibus, ad delendum idololatrarum ritum, qui idolohera
 ipsis dabant. Senferunt alij, per eum vsum intendi, muniri infan-
 tes aduersus veneficas, & ne à malis dæmonibus inuaderentur;
 quemadmodum nonnumquam etiam defunctis traditum fuerat,
 testimonio S. Ioannis, cap. 6. Qui id explicabant de ipso Sacra-
 menti esu, respondebant, fuisse ea verba dicta, *nisi manducaueritis*, iis
 qui ea possent intelligere, adeoque solùm hominibus rationis ca-
 pacibus.

Ex concordi Theologorum sententia quatuor Canones deducti
 sunt, & eodem die 23. Iunij Patrum confessui propositi. In his
 damnabatur quicumque diceret,

Ex Dei præcepto sumendam esse Eucharistiam sub utraque specie:

Errasse Ecclesiam in ea laicis prohibenda:

*Non tantum accipi sub vna specie, quantum sub utraque; quia non
 accipitur totum id quod Christus instituit:*

*Necessarium esse, & ex Diuino mandato, sumendam tradere Eucha-
 ristiam paruulis, antequam perueniant ad vsum rationis.*

Eo in opere cernebatur, quàm sublimis sit Theologorum condi-
 tio, quorum consilia exquirat Diuinitatis Interpres, qui falli non
 potest, vt præscribat humanis mentibus præstantissimos actus, qui
 sũnt iudicia de mysteriis cælestibus. Sed cunctarum eminentium
 disciplinarum pauci sunt possessores, innumeri ostentatores; qui
 apud vulgus existimationem ipsis disciplinis minuunt, perinde
 quasi esset aspernanda sanctitas, quoniam multi sunt hypocritæ.

C A P V T VII.

Difficultas, & dilatio articulorum de Calice laicis concedendo.

*Contentio ea de causa à Præsibus superata. Aliæ difficultates
 à Patribus obiectæ in Canones Fidei, à minoribus Theologis
 comprobatos.*

IN reliquis duobus articulis, in quibus non quid credendum,
 sed quid agendum proponebatur, varij atque incerti Theologi
 fuerant, sicuti ostensum est. Quapropter Legati cum intellige-
 rent^a, positæ sententiarum varietate, rerumque momentis, haud
 satis esse temporis ad hæc cum doctrinæ legumque sanctionibus an-
 te Sessionem indictam coniungenda, Patrum collegio quatuor so-
 lum articulos proposuerunt, de quibus conuenerat inter minores
 Theologos, eamque prolationis necessitatem Cæsarianis signifi-
 runt.

^a In litteris
 Legatorum
 ad Borro-
 mæum, &
 Pontificem,
 2. & 9. Iulij.
 1562.